



1713, 2 / 27

PROGRAMMA,

Quo

FACULTATIS MEDICÆ DECANUS,
CHRISTOPHORUS HELVIGIUS,

Doctor & Professor Medicus Ordinarius,
Facultatis Senior,

Ad

Disputationem Inauguralem

De

Fuligine,

Quam

NOBILISSIMUS ET CLARISSIMUS VIR,

DN. JOHANNES LEMBKE,

Bardenf. Pomeran.

Sereniss. Poloniae Regis

DN. STANISLAI I.

Medicus quondam Aulicus, nunc Praefidii Regii Steti-
nensis Vice-Medicus,

Pro impetrandis summis in Arte Honoribus & Privilegiis

Die XVIII. Decembr. in Auditorio Majori

horis antemeridianis habebit.

Medicæ Artis Fautores omnes

ac singulos

humanissimè invitat.

& de

Chimiâ optimâ rerum Medicarum judice

disferit.

GRYPHISWALDIÆ,

Litteris DANIELIS BENJAMINI STARCKII, Reg. Acad. Typogr.

in
de
US
an-
ta,
ere
nis
tus
ra-
ine,
ad
en-
de
ras
tra-
os,
que
und
tis,





Iramur quidem scēpius, quod tam iniqua de rebus naturalibus ubi vis ferantur iudicia, ut quæ nullius sunt pretii pro utilibus venditentur, & quæ magnarum sunt virium ut inutiles rejiciantur; At si consideramus, quod illud ad iudicandum adeo proclive mortaliū ingenium, tam naturā imperitū & credulū, quā invidū & fallax sit, iniustum hoc rerum æstimium haud mirū nobis videri potest. Uti enim aliās in foro civili hominis rerumq; humanarum iniquus iudex esse censetur, qui aut invidet aut favet, aut malè cognoscit, dum vel ex odio innocentes damnat, vel ex amore reos absolvit, vel ex incuriā & imperitiā de utrisq; modò gravius, modò mitius statuit: Ita sanè in foro naturali & præsertim Medico res omnes, ad usum hominū & sanorum & ægrotorum quæ creatæ sunt, malè plerumq; iudicantur, quippe quæ nunc ab imperitis ut incognitæ & inexploratæ negliguntur, nunc ab invidis vel ut superflua contemnantur, vel ut arcanæ occultantur & supprimuntur, nunc à tallacibus & lucricupidis ut adulteratæ & viribus & debito honore orbantur risuicq; quorumvis exponuntur, nunc à credulis & peregrinarum tantū cultoribus ut rariores ut cariores, licet obviis & facile parabilibus sint deteriores, supra meritū laudibus ad cœlum extolluntur. Sic natura nostra corrupta in dolis falsis opinionibus, miseris erroribus gravibusq; injuriis regna, & in illis fora quævis replet! At vero communi huic malo medetur tam sacra Legis iustitia, quā profunda & ingeniosa Artis Hermetica prudentia, utraq; adhibenda & minime contemnenda, ubi cumq; exacta limata & sincera de homine, rebusq; homini inservientibus iudicia requiruntur. De ista loquantur alii, qui iurium me peritiores sunt, quantum


quantum in Republicâ ad dirigendas Judicum sententias valeat: Hoc saltem nos, veluti notissimum cuius, dicimus, quod Lex iusti in iustis regula sit, & à DEO ac Principibus ut fons æquitatis, ut firma iudicii sine affectibus formandi norma proposita fuerit, quæ ipsa ubi dominatur, salva ibi civium salus ac vitæ communis tutela conservatur. Cui ignotum est, quod isti Judices sint optimi, qui omnino juxta legum præcepta, *sunt integerrimi* ac honestæ vitæ continentes, qui non alienis peccatis concedunt, ut facilius ipsis peccare liceat, *sunt Senes*, qui serò injustitiam, non ut propriam in seipso, sed ut alienam in aliorum animis longo tempore noverunt, qui *sunt scientes ac sagaces*, qui cuncta rimantur, ordinem rerum plenâ disquisitione discutunt, sensa ipsa introspicunt atque hinc expiscantes veritatem hauriunt, quam etiam metu & blanditiis omnibus superiores strenuè defendunt, qui *omnibus sunt æqui*, qui nec favore, nec odio vel ira, nec muneribus vel timore personarum illustrium ad jus labefactandum adduci se patiuntur? Sanè ubi ejusmodi homines judicant, ibi certissima humana vitæ solatia, infirmorum auxilia, potentumq; fraus deprehendere licet; Imo his ipsis, legum sanctitatem judiciorumq; auctoritatem defendentibus, ægrota: Republica: vulnera quam optime sanantur. Paria præstat Chimia in abdita naturæ regnis, quatenus partim absconditos ejusdem thesauros investigando, partim dubios eosdem explicando & illustrando, titubantia sæpiusque erronea Philosophorum ac Medicorum de istis concepta iudicia vel firmat, vel discutit, & ad veritatis regulam conformata dirigit. Neque vel Senectus, vel senilis experientia Arti huic deficit, cum, sive infantiam ejusdem ad Thubalcainum ante diluvium, & post ad Noachum, aut Chami sobolem Ægyptiacam cum Sennerto & Borrichio referamus, sive originem ejus magis seram esse, & demum seculo Christiano tertio non multò ante Constantinum Maximum cepisse cum Conringio statuamus parùm interest, nihilominus tot seculis jam culta & perpolita, & sic satis sine sensu senescens, aliorum de natura rerum judicantium errores discat quotidie & detegat. Neq; sagax in inquirendo industria ab assiduis ejusdem operationibus abest, quibus non solum foris adhæreres sordes, veluti verriculò quodam, abstergit, sed etiam interiora rerum, velut quædam naturæ clavi, reserat, illasq; in ea, ex quibus con-
gulas

gulas seorsim, modò conjunctas & compositas puriores sinit atq; variâ
 hominum usibus aptat. Quinimò honesta & fraudis neficia Chimia,
 ut utar verbis Rolsincii, omnia agit bonâ fide, omnibus amica, nulli
 injuria est tam respectu ægrotorum, quos consiliis & auxiliis subleuat,
 utpote erga omnes misericors & magna sua beneficia in salutem populi
 liberali manu dispensans, quàm ratione ipsarum, quas tractat & trimâ-
 tur, rerum naturalium; Has etenim, sive India & Asiatica & Ameri-
 cana affat, sive Europa copiosas offerat, sive pretiosiores sive
 vires sint, promiscuè considerat ac perfectas æstimat, prout vel
 plures, vel pauciores in illis particulas viribus pollentes deprehenderit,
 quas hinc modò ut inutiles rejicit, modò ut utiles asseruat, ac tam
 Metallurgiz ad χρυσωπείησιν, quam Medicinz præsertim ad φαρμά-
 κεισιν inservientes offert. Quanam ergò res, præprimis in foro
 Medico hætenus sursum deorsum jactata, non lubentissime Chimiz,
 ut integerrimæ ac æqvissimæ Judicis, tribunal adiret, ejusq; sententiæ
 decisivæ se submitteret? Bæquidem multos dari scepticos non igno-
 ramus, qui sublestant dubiamq; sincerorum Artis hujus judiciorum
 fidem facere haud erubescunt idèd, quod ejusmodi instrumentis, igne
 scilicet & menstruo, utatur, quæ corpora examini ejus oblata violenter
 aggrediuntur, & non tam resolvunt & separant, quàm destruunt penitus
 & confundunt, quæ alia potius & nova entia producant, quàm ea quæ
 prius in subjectis aderant, manifestant & exaltant. At quis non novit
 compagem rerum istarum prius laxari evolvi & sic separando pristinam
 destrui debere, quas resolvere & immutare animus est? Nimirùm
 quas mixti particulas menstruum seu aqua diluit, miscet, solvit & exci-
 pit, eas ignis ut communis naturæ ἀμειψέως ac motor dislocat, in
 motum ciet ac rarefacit vel figit, ut hinc partes productorum per ignem
 non noviter generatz, sed eadem quæ antea mixtum composuere, sint
 & maneat quoad materiam, licet à collisione & variâ inter sese agita-
 tione, ab igne factâ, alias induerint formas figurasve, ut vel rigidiores,
 vel flexiliores, vel volatiliores, vel fixiores factæ sensibus nostris sistantur,
 semper tamen æqualiter ac citra confusionem successive prodentur,
 modo prudens in administratione illorum mediorum regimen ob-
 servetur. Unde tantùm abest, ut hæc contentorum in mixtis separatio
 atq; immutatio, ignis & menstrui ope instituta, vituperationi sit Chi-
 mia,

miis, ut potius magnæ ipsius laudi detur, ac integerrimæ judicis titulum
 ipsi acquirat, dum hæc ratione ex noxiis venenis salutifera remedia
 emergunt, & ex vilissimis scæpè rebus magnæ consequentiæ medica-
 mina eliciuntur, uti contrà alia magni æstimata divinisque laudibus
 cumulara nihil in recessu habere deprehenduntur. Hanc ergo providam
 Ducem sequatur, hanc æqvissimam Judicem audiat Medicus, & tam
 erit felix in inveniendis, quàm tutus ac certus in applicandis medica-
 mentis saluberrimis! quæ licet ab imperito vulgo & loqvacibus mul-
 tibus, ob fictam ab iis caliditatem & acrimoniam corrosivam, pericu-
 losa & perniciofa plane ineptè judicantur, in se tamen sunt tutissima,
 veluti à prudenti Medico quotidie etiam talia magnò cum ægrotorum
 levamine esse cognoscuntur. Innumeris id exemplis probari posset,
 si nondum ab aliis probatum jam diu esset, & præsentis chartæ angustia
 id permetteret: Sola nobis impræsentiarum sufficere testis **FULIGO**,
 quæ citra præparationem, vera loqvante integerrimo Chemicorum
 judice Stüsero, Chemicis jam annumerari meretur remediis. Hæc sane,
 quàm iniqva etiam sat diu Imperitorum quorundam sustinuit judicia,
 ut velut noxia è fumaris derasa, & tanqvam sordida & inutilis extra-
 domum foràs projecta fuerit, tam æqvam postea Chimie scrutatio sub-
 jecta sensit sententiam, ut suffragante prudentiorum Medicorum expe-
 rientia, polychrestorum medicamentorum classi inseri ceperit, & ante
 hos triginta jam annos celeberrimus Dolæus confessus sit, quod, si fuli-
 ginis virtus melius dignosceretur, à Garamantis & Indis non tanti coë-
 meremus medicamenta. Grates itaque omninò debentur *Nobilissimo*
DN. JOHANNI LEMBKE, quem ut Artis Med. Candidatum
 dignissimum nuper Facultas nostra Gratiola Albo suo inseruit, quod
 fuliginem nobiscum præ cæteris dignam æstimaverit, cui statua quasi
 peculiaris in foro Medico poneretur, in quâ & faciem & naturam &
 vires ejusdem paulò accuratius & plenius, quam hæcenus factum esse
 novimus, descriptas quisq; legat; Hòc ipsò enim & saluberrimæ fuli-
 ginis tot ac tantis in ægrotos & Medicos meritis, & quorundam iustis-
 simis de statuminandâ domesticorum dignitate vel eminentiâ votis
 satisfieri certò credimus. Id vero cum satis operose & luculenter ten-
 tatum fuerit in præsentî Dissertatione Inaugurali de **FULIGINE**, tam-
 minus illa ipsa, ob materiæ dignitatem & utilitatem, quàm etiam *Clavissimum*

sumus Dn. *Candidatus*, eruditione & moribus non fuliginis, sed nitidis ac honestis satis decoratus, commendatione meâ indiget. Interim ut patefcat *Benevolo Lectori*, non unâ nocte, ut fungus pulverulentus fuliginis propullulare solet, sed sæpius fuliginem iteratarum lucubratorum bibendo, scientiam Artis solidam sibi acqvifivisse *Candidatum nostrum*, breviter, more hætenus usitatò, curriculum vitæ ejusdem, ritè & profundis omnigenæ doctrinæ fontibus haustorum studiorum rationem enarrabo. Natus est Bardi Pomeraniæ Anno præcedentis Seculi 1686. d. 3. Januar. Patrem habuit *Virum Inegerrimum ac Prudentissimum* DN. CHRISTOPHORUM LEMBKE, Camerarium Civitatis Bardenfis merittissimum, Matrem verò *Fœminam* sexus sui virtutibus ornattissimam DN. ANNAM WISENERS. His Optimis Parentibus, jam felicissimâ Beatorum vitâ gaudentibus, in lucem progenitus, Sacro Baptismatis fonte in Ecclesiæ gremium receptus, sollicitè educatus & in primis pietati à teneris innutritus est. Hinc sequentibus annis privatæ industriæ DN. MARTINI SEVINI, Rectoris tum temporis Scholæ Patriæ fidelissimi, commissus est, cujus ductum, ad prima humaniorum literarum rudimenta addiscenda, in annum usque ætatis suæ decimum sextum seqvebatur. Tum enim Anno 1702. Parentum & Amicorum consilio, in Gymnasium Stralsundense se contulit, ubi manu ductione præsertim Rectoris ejusdem celeberrimi, DN. M. JOH. WOLFFII, artium disciplinarum quæ penitiora scrutari cepit. Mox tamen vertente anno, relicto isto Sedinense Gymnasium CAROLINUM, præcipuè famâ Celeberrimi ejusdem Rectoris, Viri Plurimum Reverendi DN. JOH. GEORG. RÖSERI, SS. Theol. D. & P. P. meritissimi motus, visitavit, cujus non minus quam cæterorum DNN. PROFESSORUM Lectiones publicas frequentavit. Simul verò, cum studio Medico jam totum se consecrare decrevisset, per biennium illud, quo ibi commorabatur, privatissimâ fidelissimâque informatione Excellentiss. DN. D. CHRISTIANI LEMBKE, Reg. Status Medici felicissimi, ut & Medic. ibidem P. P. nunc Beati usus est. Ob præmaturum autem hujus Patris ac Preceptoris sui longè Honoratissimi obitum, nec non ob ætatis studiorumque progressus factos Sedino abiit Anno 1705; & cum Academicis jam studiis cum fructu se vacare posse existimaret, Wittebergam, ut aptum & Medicis quoque Musis inclytum locum, præ cæteris elegit, ubi ulteriore

riorem eruditionis mercaturam faceret. Neque etiam, cum per triennium ibidem hæreret, sedulus tam publicarum, quam privatarum Excellentiss. Virorum prælectionum auditor, inanis rediit. In Phisicis ac Anatomicis privatissimè docentem audivit Nobiliss., Excellentiss. ac Experientissimum DN. D. JOH. HENRICUM HEUCHERUM, jam Botan. & Anatom. P. P. celeberrimum. In Theoreticis & Practicis privatam pariter ac fidelissimam Præceptoris sui, Nobiliss. atque Excellentiss. DN. D. PAULI GOTHOFREDI SPERLINGII, quondam Botan. & Anatom. P. P. & Archiatri Servesæ-Anhaltini famigeratissimi, manu ductionem gratâ mente agnoscit. Quin & in cæterorum Medicinæ Professorum Collegiis publicis privatisque frequentatis se haud parum profecisse fatetur. Insuper Mathematicis disciplinis, curiosis sane sibi que utilissimis, usus operâ Excell. DN. CLAU-SINGII, tum temporis Mathes. P. P. Extra-Ordin. privatâ, se imbuendum curavit. Tandem Anno 1709. abitum in Patriam paravit, ac prius adjacentibus Saxoniarum Academiis inque iis, quæ ibi rariora ostendi solent, visis, Medicis pariter inlyctis salutatis, felix sanusque huc rediit. Mox etiam Almam nostram Grypticam intravit, ubi per aliquod tempus commoratus, nostris quoque Legionibus publicis Botanico-Physiologicis sedulus interfuit, & paulo ante abitum suum Dissertationem de *LIGNO BRASILIENSI* conscriptam me Præsidesumma cum laude defendit. Porrò cum vicinam Academiam Rostochiensem, studia magis excolendi gratiâ, pariter inviseret, solidè illum informantis Excellentissimi DN. JOH. ERNESTI SCHAPERI, Med. D. & P. P. Ducal. Ordin., ut & Consilarii Aulici atque Archiatri celeberrimi benevolentiam multis modis, quod gratus jam publicè laudari petiit, expertus est. Quò benignò etiam Commendatore felicitatem istam obtinuit, ut expertus à Serenissimo Poloniarum Rege DN. STANISLAO I., tunc Bardi degente, Medicus illuc mitteretur, ac ipsi clementissimè excepto, atque ritè in munere Aulici Medici constituto, cura Sereniss. ac Illustriss. Personarum ultra annum committeretur. Cum autem Serenissima REGINA, ob imminens funestum satis Pomeraniæ bellum, in Sveciam discederet, ac jussu Superiorum Excellentiss. DN. D. CAROLUS FRIDERICUS Suerher / Regii Pomer. Status Medici ut & Gymnasii Sedinensis P. P. celeberrimus,



rimus, Aulam comitaretur; à Serenissimo Rege Sedinum, ut vices
DN. D. LUTHERI iustineret Regioque praesidio consiliis suis medicis
subveniret, adire iustus est. Quo officio quoque ultra biennium,
durante obsidionis molestæ tempore, graviter functus est. Inde nunc,
cum nuper tam ob notam mihi eruditionem solidam, quam ob tacta
jam merita, eundem ad vacantem in Facultate nostrâ locum supplendo,
Senatui Academico ulterius praesentandum, nominaverim, huc
rursus venit, ut alibi haustæ doctrinæ præmium, Lauream Doctoralem
capesseret, & juxta tenorem Regii Visitationis Recessus præstanda
prius præstaret. Cumque exantlatò Examine solitò, admissus sit
ab Amplissimâ nostrâ Facultate ad Licentiam pro Gradu Doctorali
disputandi, hanc ipsam de *FILIGINE* Dissertationem publicæ Doctorum
Ventilationi ad diem 18. Decembris exponet. Cui ut MAGNIFICUS
DN. RECTOR totusque Academiæ Senatus aliique omnes
Arti Medicæ faventes, Hospites Civesque honoratissimi frequentes
interfint, & Facultatis Medicæ & Dn. *Candidati* nomine,
eâ, quâ par est, reverentiâ ac humanitate
rogo, invito.

P. P.

Gryphiswaldiæ,
Sub Sigillo Facultatis,
d. XVII. Decembr.
M DCC XIII.



(1706)

Greifswald, Diss., 1706-25

ULB Halle
005 372 038


3



56







1713, 2 / 27

PROGRAMMA,
^{2^{do}}
FACULTATIS MEDICÆ DECANUS,
CHRISTOPHORUS HELVIGIUS,
Doct̃or & Professor Medicus Ordinarius,
Facultatis Senior,

Ad
Disputationem Inauguralem
De

Fuligine,

Quam

NOBILISSIMUS ET CLARISSIMUS VIR,

DN. JOHANNES LEMBKE,
Bardenf. Pomeran.

Serenisf. Polonise Regis

DN. STANISLAI

Medicus quondam Aulicus, nunc Præsidii Regii Sæti-
nensis Vice-Medicus,

Pro impetrandis summis in Arte Honoribus & Privilegiis
Die XVIII. Decembr. in Auditorio Majori
horis antemeridianis habebit.

Medicæ Artis Fautores omnes

ac singulos
humanissime invitat,

& de

Chimiâ optimâ rerum Medicarum judice
diserit.

GRYPHISWALDIÆ,
Litteris DANIELIS BENJAMINIS STARCKII, Reg. Acad. Typogr.